m. N. H.
Lane Medical Library

DE BRONCHITIDIS CHRONICAE CURATIONE PRAECIPUE EXTERNA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. MENS. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

ALFR. FRID. HERM. EICHELBERG
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

H. JACOBI, MED. ET CHIR. DR.
G. BRAUMUELLER, MED. ET CHIR. DD.
E. CARP, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

NEC NON

VIRO PLURIMUM REVERENDO

ARNOLDO SCHNEIDER,

VERBI DIVINI MINISTRO,

PATRUO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMO CUM AMORE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Teneriori aetate affectionibus catarrhalibus pertinacibus detentus, satis mature usum salutarem emplastri alicujus expertus sum, cujus ope pater brevi tempore in integrum me restituit, si alia remedia nihil auxilii praestiterant. Tanto magis igitur, quum ad studia medica animum attendissem, miratus sum, scriptores in exponenda morborum bronchiorum inflammatoriorum curatione partim remediorum externorum administrationem paene ex toto praetermisisse, partim, quod equidem censeo, non satis ponderis atque dignitatis ei adscripsisse. Proinde rem non plane inutilem me suscepturum puto, si bronchitidis chronicae therapiam, singulatim usum, quem externa remedia contra eam praestant, adumbrare experiar. Praeter longam patris mei experientiam, ad quam praecipue provoco, haec medicorum inclytorum scripta consului:

1) Abhandlung über die Entzündung der Schleimhaut der Lungen etc. v. Karl Hasting M. Dr. Aus dem Englisch. übers. v. Gerhard Busch. Bremen 1822.
2) Die Lehre von den Lungenkrankheiten et Dr. C. J. Lorinser. Berlin 1823.
3) Handbuch der medicinischen Klinik v. Dr. M E. A. Naumann. Bd. I. Berlin 1829.

Alios libros, quos passim evolvi, in ipso opusculo laudabo. Materiem pertractandam ita disponam, u' primum de indole ac decursu bronchitidis chronicae nonnulla dicam, deinde periculosas catarrhi neglecti sequelas pro viribus describam, denique ad exarandam curationem gradum faciam et virtutes egregias emplastri a patre meo commendati, quod infra describam, probare conabor.

Catarrhus pulmonum chronicus, quem multi medicorum a chronica bronchitide discerunt, cujusque sedem praecipue glandulis muciferis assignant (Albers), nonnulli pro affectione tunicae mucosae bronchiorum specifica babent, auctoribus Badham et Hastings a chronica bronchitide non differt et leviorem tunicae bronchiorum pituitariae inflammationem sistit. Quod ad praxin attinet, divisio illa in catarrhum et bronchitidem minoris est momenti, etenim ipsi ejus vindices, utriusque morbi symptomata et curationem plurimum similitudinis habere fatentur, imo vix fieri dicunt, ut catarrhus chronicus gravior a bronchitide chronica leviori distinguatur. Quae quum ita sint, virorum ante dictorum auctoritatem sequi et vocibus catarrho et bronchitide promiscue uti liceat.

Bronchitis chronica vel acutam excipit, vel primitus paulatim evolvitur, imprimis si ad singularem dispositionem, organismo insitam, variae causae oc-

casionales accedunt, ut repentina temperiei vicissitudo, inhalationes crebrae aëris pulverulenti vaporumque acrium. Eadem alios interdum morbos sequitur, aut supervenit, ut erysipelas, scarlatinam, morbillos; denique sexcentae exstant causae occasionales, quae quantumvis differant, semper egestionis processum tunicae bronchiorum mucosae alienant et morbosam secretionem evocant, quam pro effectu egestionis mancae et pro functione vicaria abnormi habere licet.

Hominibus, quorum tunica pituitaria bronchiorum magna sensilitate et propensione ad inflammatorias affectiones insignitur, qualibet corporis exercitatione facile respiratio aggravatur, levissima ex causa raucedo supervenit, saepe titillationis sensus in trachea et bronchiis exoritur graduque irritationis majori tussis excitatur, matutinis horis et post pastum ingravescens, qua multum muci tenacis, postea flavidi et puriformis, nonnunquam sanguine remixti, ejicitur. Pectoris dolores mitiores sunt, aeger expedite respirat et quemcunque corporis situm bene fert. Thorax percussus bene resonat, imposito tubo acustico susurrus respiratorius non desideratur, ut in acuta bronchitide, sed paulo tantum debilior, quam statu normali, percipitur, in imo pectore levis rhonchus auditur. Ineunte morbo, imo interdum diutius jam protracto, nulla observatur febris. Lingua utplurimum humida est, muco albido obtecta, venter tensus tactu-

que sensilis; ciborum appetentia exigua; urina plerumque normae consentanea, quandoque rubella et debito parcior, alvi excretiones maximam partem irregulares. Haud raro tussis per aliquod tempus cedit, mox autem majori violentia revertitur; nonnunquam adaucta bronchiorum secretio cum aliorum organorum blennorrhoeis, cum rheumatismo, cum aliis corporis affectionibus alternat. Quibus sub symptomatibus catarrhus pulmonum chronicus saepe per hebdomades aut per menses existit, nec raro, si medendi ratio apta instituitur simulque externae conditiones, nominatim tempestas, favent, in integram valetudinem exit. Semper autem hujusmodi homines novas injurias tanto studiosius vitent necesse est, quanto magis redeunte morbo exitus malignus timendus est, qui eheu! satis creber esse solet; non raro enim phthisis pulmonum pituitosa subsequitur (1), quam haud dubie nulla aliarum causarum, ut arthritis, rheumatismus, exanthemata repercussa etc. tam frequenter inducit, quam chronicus catarrhus. Qui si non directe tubercula gignit, certe phthisin tuberculosam latentem suscitat, quae deficiente catarrho fortasse per totam vitam latuisset (2).

---

(1) Diction. des scienc. médic. Tom. IV. Artic. catarrh. Schmidtmann Tom. I. Cap. IV. Summa observation. medicar. etc. Berolini.

(2) Karl Sundelin, Pathol. u. Therap. der Krkht. mit materieller Grundlage (Berlin u. Landsberg a. d. O.) Die Lungen-

Similem decursum bronchitis chronica emetitur, si ex acuta evolvitur, plerumque tamen breviorem, quoniam inflammatio acuta, quae antecessit, aegrotum non mediocriter exhaurit viresque vitales consumit. Interdum, si curatio idonea administratur, symptomatum gravitas aliquamdiu mitescit morbique decursus lentus evadit et tandem, faventibus rebus omnibus, in valetudinem transit; plurimis autem in casibus, si in melius jam abiisse videtur, exitum funestum sortitur.

Quodsi bronchitis morbos cutaneos excipit, depulso exanthemate plerumque chronica bronchiorum affectio exoritur, rarius acuta, quae postea in chronicam exit. Utroque in casu morbus pertinax est, omnibusque resistit remediis, nisi exanthema restituatur.

Praeterea bronchitis chronica non raro cum morbis abdominalium viscerum consociatur, imprimis cum hepatitide chronica aliisve hujus visceris morbis. Initio plerumque tantum symptomata hepatis morbi in conspectum prodeunt, postea vero tussis sicca accedit, paulatim ingravescens et copiosis sputis stipata, quae primum mucosa, deinde puriformia apparent; spirandi difficultas ut plurimum locum habet. Nunquam non regionis epigastricae sensilitas morbosa,

---

schwindsucht nebst Untersuchung, über Ursachen, Wesen etc. v. James Clark, übers. v. Dr. H. Stannius. Berlin.

non semper autem dolor continuus, exstat. Quae si increscunt, status hecticus exoritur, corpus macie conficitur. Dictis symptomatibus organorum digestionis affectiones adduntur, earumque commercium cum pectoris morbo tantum est, ut in ingravescentibus quoque bronchiorum aegrotatio majorem assequatur gradum. Infaustis sub conditionibus omnia symptomata eatenus intenduntur, ut mors irruat.

Nonnunquam cum ventriculi ulceratione bronchitis chronica existit, quae vero ad ultimum demum stadium accedit, postquam per longius tempus morbi ventriculi symptomata, imprimis vomitus frequens, antecesserunt. Quo longius procedit morbus, eo magis purulenta sputa evadunt, quae si apparent, corporis macilentiam adaugent mortemque accelerant.

Haud minus bronchitis cum alliis abdominis morbis complicatur et haud raro fortasse morbus peritonaei et glandularum mesaraicarum, cum chronica bronchitide junctus, pro tuberculosa pulmonum affectione habitus est. Generatim nonnullis in casibus difficillimum est, bronchitidem chronicam, ultima stadia ingressam, a similibus morbis, v. c. a phthisi pulmonum tuberculosa, distinguere, praecipue si acutam bronchitidem chronica est secuta. Plurimum ad eruendam diagnosin valebimus, si eo enitamur, ut morbi genesin causasque cognoscamus. A tussi convulsiva bronchitis chronica facile discernitur specificis symptomatibus, tussim illam comitantibus, ab asthmate

autem periodismo exacerbationum et intermissionum, quo morbus iste insignitur.

Visa reperta semper mucosam bronchiorum tunicam majori minorive gradu affectam, imo saepenumero, si mechanica irritamenta bronchitidem induxerunt, ulceratam commonstrant. Teste Laennec rarissime tunica mucosa per totum ambitum, verum tantum, etiamsi gravior erat catarrhus, in locis singularibus, vel in alterutro latere vel in utroque, inflammata deprehenditur. Si inflammatio intensior fuit, pulmones recluso thorace non collabuntur. Humor in bronchiis reperitur varius: utplurimum puriformis est, muco, sero cruento, latice spumoso remixtus. Saepe pulmonum substantia affecta apparet, unde interdum evenit, ut tubercula in eadem exoriantur. Haud minus saepe finitima organa aegrotant, ut pleura, vasa pulmonum sanguifera, cor, imo ventriculus cet. Denique in pulmonibus hominum catarrho chronico mortuorum aliae mutationes inveniuntur, quas praecipue Laennec illustravit:

1) Dilatatio bronchiorum, plerumque in singularibus ramis bronchialibus lobulorum pulmonalium superiorum, ita ut rami illi saepe majores truncis eorumque tunica mucosa rarefacta appareat. Si multi rami bronchiales dilatati sunt, substantiam pulmonalem comprimunt ejusque crepitationem tollunt.

2) Emphysema pulmonum proprie dictum, seu cellulare, in expansione abnormi cellularum pulmona-

lium cernitur. Quae si a peripheria pulmonum proxime absunt, extrinsecus animadvertuntur, sin nimiâ expansione rumpuntur, aër inter pleuram et pulmonem emanat et emphysema interlobulare existit.

3) Coarctatio bronchiorum auctore Andral plerumque mechanicam compressionem, interdum parietum rarefactionem sequitur.

4) Oedema pulmonum, accumulatio seri in ramis bronchiorum tenuioribus, quo fit, ut aëris inspirati transitus vel difficilior reddatur, vel plane prohibeatur.

Exitus bronchitidis chronicae gradusque ejus levioris, nimirum catarrhi chronici, multis in casibus, ut supra adnotavi, funestissimi sunt, quibus tanto magis occurramus necesse est, quanto minus ars medica iis tollendis par esse solet, jam enim Sydenham quintam, Süssmilch sextam hominum partem phthisi perire affirmant. Raimann (1) nullum phthisis tuberculosae sanatae exemplum sibi innotuisse tradit, nec non reliqui scriptores de phthisis pulmonalis decursu et exitu parum laeti referunt. Ch. J. G. Williams (2) bronchiorum dilatationem ait et hypertrophiam, e chronica bronchitide ortam, nonnullis in casibus a phthisi difficillime distingui, attamen quod ad praxin nihil interesse, quoniam bronchiorum dilatatio insanabilis, itaque prognosis hoc in stadio fere ea-

(1) v. Raimann. Handbuch der spec. Path. und Therap.

(2) Williams. Path. u. Diagn. der Brustkrankheiten u. s. w. übers. v. H. Velten. Bonn.

dem sit, ac in phthisi tuberculosa. Tissot majorem hominum numerum perniciosis catarrhi sequelis, quam pesti interire censet.

Comparatis medicorum priorum atque nuperiorum de periculoso catarrhi neglecti vel non cogniti exitu sententiis, vix opus esse videtur, ut theoriam Ramadge (3) nuper propositam prolixius refutemus, quippe qui catarrho vim tutoriam absolutam contra phthisin adscribat, imo eo usque procedat, ut phthisis sanandae causa catarrhum aëris asperioris efficacia evocandum suadeat. Quum artis periti tam perversam de catarrho sententiam ferant, vix et ne vix quidem mirabimur, profanorum permultos eundem vilipendere, imo vim prophylacticam contra alios morbos graviores ei tribuere, quo fit, ut plane eum negligant tandemque negligentiae suae victimae cadant. Haud dubie eorum multi, si et ipsi, et affines, et medicus debitam morbo attentionem impendissent, valetudinem prosperam recuperassent, aetatem juniorem quae praecipue dispositionem ad morbos catarrhales offert, feliciter superassent et virili aetate stabili sanitate essent gavisi, si ab eo discedas, quod fortasse in senectute dispositio catarrhalis denuo emersisset novamque curam exegisset.

Indole decursuque bronchitidis chronicae breviter expositis, id operam dabo, ut morbi curationem, sin-

(3) Die Lungenschwindsucht heilbar, von Dr. J. H. Ramadge übers. von Dr. Hohenbaum.

gulatim externorum remediorum administrationem, fusius describam.

Catarrhus acutus pulmonum vulgaris utplurimum, si neglectus non est, absque pharmaceuticis remediis, solo regimine tepido sanatur solitoque more sputis mucosis spissioribus, nec non sudore universali, rarius alvi profluvio judicatur. Si ad medicamenta confugere placeat, ea eligamus oportet, quae criticas excretiones primum inducunt, deinde sustentant, ut flores sambuci, decoctum malvae, radicis Ipecacuanhae doses refractas cet.; rarissime sanguinis detractionibus opus est.

Sin vero morbus in chronicum abit, vel primitus chronicus apparet, maximi est momenti ad consequendum curationis effectum salutarem, ut vitae rationes, quibus aegrotus utitur, respiciantur. Quodsi enim aeger in officinis degit, in quibus aër pulverulentus aliaeque injuriae catarrhum evocant et sustinent, prosper curationis eventus sperandus non erit, nisi aeger ab illis injuriis submoveatur. Ubi vita sedentaria causam suppeditavit, omnibus medicamentis corporis exercitatio mediocris praestat; sin aeger motum activum non ferat, passivus imperandus est, ut equitatio, vectatio, aut levius quoddam gestationis genus. Quodsi corpus sub dio exercetur, aut gestatur, magna tempestatis ratio est habenda, etenim aegrotus quam maxime a repentina frigoris et caloris vicissitudine, ab humore omnibusque rebus corpus refrige-

rantibus sibi cavere debet. Proinde vestitus etiam sit idoneus, nimirum subcalidus, nunquam vero debito callidior, et anni tempori et domicilio consentaneus. Bene sibi consulunt aegroti, nudum corpus tunica lanea laxius contexta induentes, quae vero, si corpus ejus usui adsuevit, non sine refrigerii periculo, ne aestivo quidem tempore, ob vicissitudines temperiei exuenda est. Et mea ipsius et complurium familiarium experientia de usu saluberrimo illarum tunicarum e lana contextarum mihi persuaserunt, quippe quae non modo corporis superficiem leviter irritent et sanguinis circuitum per vasa cutanea foveant, verum etiam sudorem facile imbibant et, calorem male conducentes, impediant, quominus sudor in corporis superficie celerius frigescat. Quemadmodum humida domicilia vitanda, ita aëris puri accessus salutaris semper conciliandus est. Si morbus ab aëre humido pendet saepiusque revertit, aegrotos ad regiones climate calidiore et constantiore, aëre sicco dotatas, secedere expedit: sin aegri mediteraneas incolunt regiones, non raro aërem maritimum per menses aestivos inspirando reficiuntur, quippe qui tunicam bronchiorum mucosam eum in modum firmet, ut catarrhi reditus arceatur. Saepe discessus aegroti ad locum a priori sede paulo dissitum sufficit, haud raro enim res ambientes novas animum exhilarare, eoquè modo salutarem effectum in corporis valetudinem exserere, compertum habemus. Nutrimentis aeger parcius uta-

tur, magis vegetabilibus, quam animalibus; ceterum eupepta sint alimenta, non nimis nutrientia, imprimis si phlogistica affectio praevalet; corpore postea debilitato, locus est cibis nutrientibus, ut vires refocillentur; denique alimentorum ea sit indoles, ut secretiones et excretiones adjuvent. Ex regno vegetabili rapas, asparagum, cerasa, uvas, cucumeres, melones cet. ex animali carnem albam, quam vocant, nempe caprinam, gallinaceam, columbinum cet. commendare licet; juscula ex limacum et viperarum carne parata nimis nutriunt. Pro potu aqua succo limoniorum, aut acido tartarico, et saccharo temperata, aqua mera, decocta mucilaginea exhibeantur, omnia calefacientia, ut infusum coffeae, theae, liquores spirituosi, studiose vitentur. Lac a multis medicis laudatur, ab aliis autem, velut nutriat morbum, vituperatur; haud dubie partes ejus serosae tantum salutares, eamque ob rem lac asininum, particulis nutritiis minus abundans, praecipue idoneum est. Curatio porro id moliri debet, ut status tunicae mucosae inflammatorius exstinguatur, id quod praesertim sanguinis detractionibus efficitur. Cavendum autem est, ne intempestive sanguis mittatur, siquidem in chronicis tunicae mucosae morbis ob praevalentem ejus debilitatem sanguinis detractiones modum excedentes facile damnum irreparabile inferunt. Generatim corpus aetate non nimis provectum, pulsus frequens, plenus, duriusculus, locales sanguinis missiones, imo parcam venaesectionem admittunt.

Provideas autem, ne nimium confidas pulsui, quippe qui in chronica bronchitide non semper virium modum certo indicet. Hastings inprimis topicas sanguinis detractiones institui jubet, utpote quae saepius repeti possint ac, dum pulmonum vasa simul vacuefaciant, organismum universum haud debilitent. Verum dispiciendum est, ne topica irritatio, quam hirudines efficiunt, majorem sanguinis molem ad applicationis locum alliciat, quam hirudines auferant, quamobrem eas circa regionem affectam applicari, saepius praestat. Maxime sanguinis detractiones vitandae sunt, primum si chronica bronchitis ex acuta prodiit, his enim in casibus organismus haud raro prioribus venaesectionibus jam est fractus; deinde si catarrhus chronicus nimis inveteravit longaque muci bronchialis secretio debilitatem, imo statum corporis cachecticum induxit; porro si morbi ventriculi, aliorumve viscerum abdominalium vigent, qui prius, quam bronchia in sympathicam affectionem vocabantur, corporis vires fregerunt. Si vero morbus abdominalis, v. c. hepatis, cum bronchiorum affectione exoritur, plerumque locales tantum sanguinis detractiones instituendae earumque administratio repetita praesertim ex effectu metienda est. Uno tantum in casu Hastings uberiores sanguinis missiones commendat, nimirum si morbus, aegroti opificio sustentatus, jam diu perstitit et sanguinis circuitu impedito dilatatio

cordis dextri eaque ex causa sanguinis accumulatio in venoso systemate exorta est. —

Porro therapia id operam det necesse est, ut laxitas tunicae bronchiorum mucosae et profusa pituitae secretio coerceatur; cui indicationi majori ex parte ita satisfacimus, ut vitae rationem et diaetam supra descriptam aegroto imperemus. In catarrhis pulmonum inveteratis Naumann graviter species pectorales emollientes et relaxantes, quibus uti solent medici, vituperat, quippe quae tunicae mucosae atoniam impensius adaugeant. Laudatae quoque his in casibus sunt vernae curationes, quae vocantur, ut succus recens expressus Taraxaci, Nasturtii aquatici, Fumariae cet. largiores fructuum recentium portiones, ut fragorum, uvarum. At vero dictae curationes facile ventriculum offendunt et diarrhoeas excitant, quas, ut viribus parcatur, vitari oportet, quamquam altera ex parte id agendum est, ut alvus semper debito more solvatur. Convenit igitur, succos recens expressos herbarum vernalium cum amaris aut volatilibus medicamentis conjungi. In Germania praesertim Hufeland vernas curationes recentiori aevo in pristinam dignitatem restituere studuit. Ex amarorum et adstringentium remediorum classe praesertim fumaria, lichen islandicus aliaque graviora laudata sunt. Dispiciamus tamen oportet, ne, dum tunicae mucosae atoniam tollere studeamus, ejusdem irritabilitatem exaltemus, tussim adaugeamus sputorumque ejectio-

nem difficiliorem reddamus. Remediis hoc in casu idoneis interponenda sunt: cortex Peruvianus, Quassia, Columbo, Polygala amara, Balsamum Copaivae, Myrrha, Ferrum cet.; chinae corticem praecipue salutarem esse Hastings contendit, si catarrhus chronicus ex acuto prodierit et debilitas haud mediocris existat; eundem, si spirandi difficultates non augeat, plurimum prodesse, junctumque cum acido sulphurico sudoribus profusis, non raro catarrhum chronicum comitantibus, mederi Hastings affirmat; attamen digestionis organorum vires nondum labefactae sint necesse est, sive chinae corticem, sive alia antedicta in usum vocare velimus. Remedia balsamica inprimis imbecillitati universali et locali respondent, ubi pulsus debilis et magna virium prostratio cum ingente systematis nervorum intemperie locum habent. Badham Myrrham reliquis medicamentis praeponit, ejusque grana XV. bis per diem exhibet; Richter eandem cum Asa foetida similibusque remediis conjungit. Duncan et Armstrong Balsamum Copaivae commendant, quippe cui singularem in tunicam mucosam bronchiorum efficaciam adscribant. Quem effectum salutarem Hastings plane disputat, imo vero hoc remedium febrem adaugere, ventriculum graviter offendere, quandoque adeo diarrhoeam evocare asserit. Balsamum Peruvianum Werlhof laudavit. Haud minus contra meram pulmonum blennorrhoeam inhalatio vaporum substantiarum resino-

sarum et balsamicarum commendatur, ut Masticches, Succini; inprimis fumigationes piceae a Crichton laudatae sunt, quae pariter per acidum atque oleum empyreumaticum efficaciam exserunt; sin acidos vapores timemus, cineres clavellati pici addendi sunt. Hastings vapores piceos in phthisi tuberculosa non modo nihil commodi, verum etiam multum detrimenti praestitisse affirmat, quippe qui nonnullis in casibus diuturnam glottidis irritationem efficere tussimque adaugere viderentur. Bronchitidis chronicae unum refert casum, in quo vapores picei salutares sese exhibuerint; ceterum aliis in exemplis morbi ejusdem pertinacioris solo hocce remedio morbosam tunicae pituitariae actionem esse sublatam, in aliis vero inflammationem accrevisse et acutiorem evasisse, quam ob rem hoc auxilio tunc demum utendum esse censet, cum morbus admodum inveteratus et aegroti constitutio minus irritabilis sit. Iisdem in casibus pater meus, praecipue si vomicae pulmonum aderant, multo cum fructu illis vaporibus usus est. Richter vaporum balsamicorum inhalationes maxime opitulari dicit, si profusa muci secretio in trachea et larynge sedem habeat, si aeger ab exordio ingratam ibi sensationem conqueratur, si raucedo pertinax, vox vel fusca vel acuta, cum largiori salivae secretione existat, quibus tamen in casibus Naumann vapores illos semper noxios comperit. Praeterea Oleum petrae calefaciens, inprimis a Leuthner, commendatum est.

Antimonialia quoque contra bronchitidem chronicam, ad sublevandam expectorationem et juvandam perspirationem, in usum vocari solent, quorum praecipue doses parvae, saepius exhibitae, prodesse dicuntur. Hujus generis sunt sulphur stibiatum rubeum et aurantiacum, nec non Tartarus stibiatus, qui pro emetico etiam exhibetur, praesertim infantibus, si muci excretio e bronchiis alia ratione haud efficitur, rarius adultis, nisi status maxime atonicus subsit. Senibus Hastings emeticum pro palliativo remedio praeberi jubet, ut mucus in trachea, bronchiis et cellulis pulmonalibus accumulatus, qui tussim haud raro adaugeat, per aliquod tempus expellatur, quippe quam viam natura multis in casibus sine artis auxilio ingrediatur. Quodsi mucus ejectus tenacior sit, Lorinser ad asam foetidam, Gummi Ammoniacum, Camphoram, nisi alia eorum usum vetent, confugiendum suadet. Hydrargyri effectum Lorinser vilipendit, attamen Hastings Mercurium commendat, ubi hepatis morbus, inflammatio lenta peritonaei, glandularum mesaraicarum etc. cum bronchitide existat. Plerumque cum aliis remediis junctum praebet ejusque usum continuat, donec palatum et gingivae rubescant, faeces normalem colorem recipiant et regionis epigastricae sensilitas minuatur; idem vero monet, ne debilitantem Hydrargyri effectum vilipendamus. Contra profusam et pertinacem muci secretionem quoque remedia acria et diuretica laudata sunt, imprimis ubi diu-

resis parca est et hydropicae affectiones ad morbum accesserunt; raro autem corpora tenera, irritabilia hasce substantias impune ferunt. Vetustissimum horum remediorum est Scilla maritima, quae summum eo usque praebenda est, ut nausea, minime vomitus aut diarrhoea oriatur. Utplurimum radix Scillae, cum Gummi Ammoniaco in pilulas redacta, vel Gummi Ammoniacum aceto scillitico solutum exhibetur, si muci secretio copiosa, sed neque bronchiorum pectorisve dolores, neque febris exstant. Hastings prae omnibus hujus generis remediis Colchicum autumnale commendat, singulatim ejus tincturam, ter quotidie ad guttas viginti dandam, et si nimis excitet pulsum, cum guttis VIII—X tincturae digitalis conjungendam. Statu febrili minus vetare, quam Scillam, et non modo tussim mitigare, verum etiam urinae secretionem promovere et alvum debito modo solvere affirmat. Doses largiores, praecipue si infantes aegrotant, cavendae sunt, quippe quae facile diarrhoeam ingentem cum gravioribus ventris doloribus excitent. Raro adulti plus quam guttas triginta, ter per diem exhibitas, ferunt, quin diarrhoea subsequatur. Digitalis purpurea, diuturnum praestans effectum, qui teste Bischoff per intervalla reverti dicitur, inprimis tunc prodesse videtur, cum phthisis pituitosa ex cachexia universali prodiit et cum hydrope atque phthisi pulmonum propria conjuncta apparet, quippe quibus in casibus diuresin augeat pulsusque frequentiam minuat.

Quodsi morbus magna cum virium labe junctus est, digitalis purpureae usus magnam providentiam requirit. Aliquam celebritatem quoque semina Phellandrii aquat. et tinctura Agarici muscarii (gutt. xx—xl quater per diem sumendae) sibi pepererunt. Hastings aliquoties in bronchitide chronica pertinaci adhibitis pilulis, ex grano uno extracti cicutae et pulveris radicis Ipecacuanhae (datis per diem pilulis tribus) paratis, tussim mitiorem sputaque meliora evasisse tradit. Omnium remediorum infimum locum narcotica tenere Naumann existimat, quamquam Lorinser inprimis contra eam phthisis lentae speciem, quae corpora tenera incitabilia obsidet, usum eorum laudat. Iisdem sub conditionibus salutem reddere dicitur acidum hydrocyanicum, quod Granville in catarrho acuto et chronico, cum spasticis affectionibus et sanguinis stagnationibus in abdominis visceribus juncto, adhibendum censet. Opium, quo, tanquam palliativo remedio carere nequimus, statu febrili vetatur; Hastings praesertim senioribus catarrho chronico implicitis praebet, ut per priorem noctis partem, priusquam mucus in bronchiis colligitur, quietem iis conciliet eoque modo vires sustineat. Magna autem opus est providentia; nam incautus hujus remedii usus facile sputa supprimit mortemque infert. In ultimis morbi stadiis, in quibus sputa admodum copiosa tussisque inimicissima sunt, nullum medicamentum continuam regionis glottidis irritationem tam prompte demulcere

dicitur, quam Opium. Naumann in phthisi ex hypochondriis, quae vocatur, remedia resolventia cum demulcentibus aut saponaceis extractis, Valerianam, Asam foetidam etc., clysmata antispasmodica et aperientia, balnea tepida universalia administrari jubet. Haemorrhoidum fluxus, si dispositio haemorrhoidalis exstat, leniter promoveatur, etenim exorto profluvio non raro catarrhi pertinacissimi cedunt. Si pulmonum oedema catarrho supervenit, diuretica supra enumerata commendatu digna habentur. Quandoque fontes soterii in bronchitide chronica usum praestiterunt et Hufeland singulatim fontem Salisbrunnensem commendat; non minus salutaris aqua est Selterana, vetatur autem sanguinis congestionibus ad pectus pulmonibusque valde irritatis. Aquae Eilsenses, Spaanae, Nenndorfenses, Carolinenses, Wisbadenses, Landeckianae etc. contra chronicas pulmonum blennorrhoeas multum sunt laudatae, attamen respectu casus cujusque singularis inter eas delectus habendus et nominatim martiales cautissime administrandae snnt, quippe quae, temere adhibitae, pulmonum irritationem facile mirum in modum adaugeant.

Jam ad principem hujus dissertatiunculae partem, ad curationem catarrhi per externa remedia, gradum facio. Plurimi scriptores, ut in praefatione jam adnotavi, breviter tantum obiterque curationis externae mentionem faciunt, nec multum dignitatis in pulmonum morbis ei tribuunt, quamquam in multis

aliarum partium affectionibus, ut in phthisi laryngea, creberrime externa remedia in usum vocari solent. Nihilosecius ego, provocans ad patris mei experientiam, per annos viginti quinque, et quod excurrit, collectam, externorum irritamentorum usum multis hominibus catarrho chronico laborantibus suppetias tulisse, imo tum quoque vitam servasse, cum innumera interna frustra essent adhibita, jure meo affirmo. Nonne ipsa natura viam indigitat, morbis per derivationem medendi? nonne emergente exanthemate miliari in pectore aliisque corporis partibus, vel apparente arthritide in manuum pedumve articulis inflammatoria tunicae bronchiorum mucosae affectio, saepe admodum diuturna, evanescit depulsisque his phaenomenis criticis revertitur? Ad derivandam a pulmonibus irritationem inflammatoriam multis utimur remediis, ut emplastro vesicatorio, substantiarum irritantium infrictionibus, fonticulis, setaceis, moxis. At vero in his ipsis remediis non raro causa est, quod vel exiguo, vel nullo cum fructu administrantur: alia enim eorum tantos excitant dolores, ut ab aegrotis nimium incitabilibus haud ferantur, alia tantum humoris purulenti copiam auferunt, ut corpus jamjam debilitatum damno illo penitus labefactetur et remedium suspendatur necesse sit; alia molestae applicationis causa, cum vel novam quotidie ligaturam reposcant, vel admodum inquinent, ab aegrotis seponuntur bonusque effectus, ut in permultis morbis chroni-

cis, ita et hic aegrotorum impatientia evertitur. Ceterum nonnulla horum remediorum, ut unguentum Tartari stibiati, cicatrices deformes, totam per vitam manentes, inducunt, quod quidem incommodum, si laetus semper obtineretur eventus et si dictum unguentum unicum hujus generis esset auxilium, parvi aestimandum foret; at vero, quum multa similem praestent effectum, medici est examinare, numne unum alterumve eorum in locum illius unguenti, dolores vehementes turpesque cicatrices efficientes substitui queat. Denique derivantium externorum nonnulla tam fugacem exserunt effectum, ut auxilium, quod in bronchitide chronica tantum e constantiori efficacia exspectare licet, praestare non valeant. Patrem quoque meum experientia edocuit, non tam fortiora irritantia quae Lorinser tanto valdiora esse debere contendit, quanto magis dispositio ad phthisin pulmonalem emineat, quam blandiora, stimulum continuum exserentia, id efficere, ut morbosa partium interiorum actio ad exteriores deferatur. Proinde setacea, caustica, vesicatoria saepius repetita, quae Hastings atque Schmidtmann proponunt, me judice nunquam substitui possunt in locum emplastri, a patre meo per annos fere viginti contra bronchitidem chronicam adhibiti, quod partim virtutibus leviter et continuo irritantibus insignitur, partim absque multa opera et molestia administratur. Pater ad simplicem hanc compositionem tum demum confugit,

quum plures per annos remediorum supra enumeratorum commoda et incommoda inter se comparasset atque aestimasset. Hoc emplastrum, aeque ac irritamenta cutanea generatim, non prius in usum vocandum est, quam inflammationis vis decreverit, quamobrem Hastings recte monet ne praemature talia remedia adhibeantur, quippe quae, systematis vasculosi incitationem renovando, saepe sanguinis detractiones iterum necessarias reddant. Quorum externorum usu non tantum tussim et sputa mucosa diminuta, verum etiam secretum puriforme tunicae bronchiorum internae in mucum naturalem mutatum se observasse tradit. Aliis in casibus, quibus bronchitis mediocri tantum inflammationis gradu nititur, vel aeger nimis debilitatus sanguinis detractiones haud admittit, protinus ad externa irritamenta confugere licet; eadem fere sola auxilium pollicentur, si digestionis organa infirma aliaeve causae paene ex toto impediunt, quominus internis remediis utamur. In casibus modo dictis, ergo in catarrho chronico, saepius recrudescente, pater meus aliorum irritantium loco emplastrum adhibuit, e tribus partibus emplastri ammoniaci et parte una emplastri cantharidum perpetui (secundum tertiam edit. Pharm. Boruss.) constans. Emplastrum Cantharidum perpetuum edit. quint. Pharmacopoeae, partim minus efficax est, partim emplastrum nimis molle reddit, quod facile dislocatur. Emplastrum corio satis crasso et firmo illinitur, ne diutius applicatum

plicas colligat, et viris, magnitudinem habens pedis dimidii, in pectore, piliis resectis, mulieribus autem magnitudine volae manus in dorso inter scapulas locatur; huic superimponitur splenium, ne, si emplastrum calefactum paulo dislocetur, lintea inquinentnr. Post secundum demum aut tertium diem pruritus incipit, qui paulatim et periodice increscens, inprimis matutino tempore, si aeger expergiscitur, et vespertino, si lectulum petit, paulo inimicior evadit, mox autem, vellicato corio, demulcetur et in blandum ardorem mutatur. Quodsi juxta emplastri marginem locus doleat, habenula lintea inter emplastrum et cutem ibi collocetur. Tertio die per totum locum emplastro obtectum vesiculae instar seminum panici miliacei oriuntur, quae paulatim rumpuntur lymphamque claram effundunt. Sensim vesiculae in loca suppurantia parva mutantur, ita ut sub finem tertiae hebdomadis tota superficies pus secernat, itaque emplastrum dejiciatur. In rarioribus tantum casibus, si emplastrum, per aliquot hebdomades relictum, multum humoris conflavit, pars ejus per emplastri substantiam in corium penetrat malumque odorem efficit, quo facto emplastrum, si diutius retineatur necesse est, renovari oportet. Quodsi emplastrum tandem decidit, aut sufficiente effectu demitur, plerumque substantiae emplestraceae aliquid cuti adhaerescit, quo in casu linteolum siccum loco imponitur, quod adglutinatur et novum quasi emplastrum format. Quo iterum ablato

novum linteolum vel siccum, vel sebo aut unguento cereo illitum imponitur et sanatio mox obtinetur. Post talem emplastri effectum saepe saluberrima phanomena apparuerunt; interdum tussis subito demum cessit, postquam exanthema, ei analogum, quod natura ceu crisin spontaneam saepe excitat, in variis corporis partibus effloruerat. Multis in exemplis, quibus exanthema vel nullum apparet, vel paulo post eruptionem recrudescente tussi evanescit, fortasse tantum naturae conamen adjuvetur necesse est, ut prosper morbi exitus inducatur. Ut naturae conaminibus, morbos pectoris excitatis criticis aliarum partium affectionibus sanandi, subveniamus, eo magis necessarium est, quod non pauca exempla, ut supra retuli, prostant, quibus catarrhi chronici exorta arthritide, capitis impetigine, graviditate cet. tollebantur, sublatis autem hisce conditionibus recrudescebant. Sic pater meus nuperiori tempore catarrhum pertinacissimum, qui plures per menses omnibus remediis restiterat, adhibito illo emplastro et exanthemate miliari in pectore, abdomine, facie, brachiisque efflorescente, intra octo dies sanatum vidit. Aliis in casibus, praesertim apud viros, exanthema in partibus genitalibus magno cum tumore, pruritu et ardore apparebat et vel iisdem limitabatur, vel ad alias corporis partes propagabatur et post octo demum aut quatuordecim dies evanescebat. Alius catarrhus pertinax podagrae cessit similiaque exempla apud multos scriptores leguntur,

quare mirari oportet, Naumannum Hufelandii et Lentini sententiam non subscribere, qui, anginam membranaceam infantibus capitis exanthemate laborantibus mitiorem existere, contendunt. Haud dubie Naumann haud meditatus est, in plerisque horum casuum exanthema capitis arescere ergo anginam membranaceam levare non posse; quod si accidit, quam maxime necassarium est, ut arte restituatur. Saepe plures hebdomades post emplastri applicationem multi furunculi in dorso aliisque partibus multo cum levamine morbi pectoris effloruerunt. Quod equidem scio, dictum exanthema quoque applicationem longiorem unguenti Tartari stibiati aliorumque irritantium, minime autem portiones largiores per breve tempus adhibitas emplastri cantharidum etc. sequitur quod indicio est, naturae conamina promptius adjuvari, si irritantia leviora continuo, quam fortiora per breve tempus administrentur. Emplastrum supra dictum, ex una parte emplastri canth. perpetui et tribus partibus emplastri ammoniaci paratum, pro varia cutis incitabilitate saepius mutandum esse, facile est intellectu. Aliis enim in casibus illud emplastrum vesicatorii instar intra XXIV. horas vesiculas inducit, in aliis partes tantum duae emplastri ammoniaci, imo adeo partes aequales utriusque requiruntur. Utplurimum seniores majorem empl. cantharidum portionem exigunt, nec non ejusdem dosis augeatur oportet, si emplastrum saepius eidem loco imponitur. Raro tan-

tum pater meus homines irritabiliores adhibito hoc emplastro in motus febriles incidere comperit. Vesaliae, ubi pater praxin medicam factitat, plures aegrotorum multis ex annis contra tussim pertinacem hoc emplastro utuntur, nec unquam ejus applicationem, quae parum operae requirit, exiguos dolores excitat et, uti persuasum habent, summam utilitatem praestat, aversantur, quod saepe fit, si unguento Tartari stibiati aliisve unguentis et remediis irritantibus utuntur. Eundem in usum Naumann emplastrum Picis, cum emplastri cantharidum variis portionibus junctum, proponit, quod utrum efficacitate nostrum adaequet nec ne, dirimere nequeo.

V I T A.

Natus sum ego Alfredus Fridericus Hermannus Eichelberg anno duodecimo hujus saeculi die tertio mensis Maji, Vesaliae, patre optimo Alberto Eichelberg medico practico, matre carissima Mariana, de gente Westermann, quam morte abreptam vehementissime lugeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum rudimentis in schola urbana imbutus, gymnasium Vesaliense, quod Ill. Directore Bischoff floret, adii et per annos octo frequentavi. Mense Majo anni MDCCCXXXII. testimonium maturitatis adeptus Heidelbergam me contuli, ubi in civium universitatis numerum a rectore t. t. magnifico Umbreit adscriptus sum. Per unum annum hasce frequentavi lectiones:

Logicen Ill. Umbreit, chemiam Ill. Gmelin, physicen Ill. Munke, osteologiam Ill. Arnold, botanicen Ill. Bischoff, mineralogiam Ill. v. Leonhard, anatomiam Ill. Tiedemann me docuerunt. Tum almam academiam Berolinensem petii ibique rectore magnifico Ill. Weiss in civium academicorum numerum receptus, a decano spectabili Ill. Osann in album medicinae studiosorum inscriptus, clarissimos praeceptores disserentes audivi:

De chemia Ill. Mitscherlich, de psychologia Cel. Beneke, de materia medica Exper. Isensee,

de pathologia et therapia speciali Ill. Horn et Ill. Hecker, de arte obstetricia Ill. Kluge, de anatomia, anatomia comparata, nec non pathologica Ill. Mueller. Secandi cadavera artem Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt. Praeterea per duos annos clinica et medica et chirurgica et ophthalmiatrica et obstetricia Ill. et Cel. virorum Rust, Wolff, Truestedt, Bartels, Osann, Juengken, Kluge, Busch diligenter frequentavi.

Quibus viris omnibus illustrissimis et celeberrimis summe venerandis gratias ago, quas possum maximas. Nunc vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Trepanatio prophylactica est rejicienda.
2. Catarrhus pulmonum et bronchitis idem est morbus.
3. Prognosis vulnerum capitis semper dubia.
4. Iridektomia reliquis koremorphoseos methodis est praeferenda.

45(9)